



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Quæ media ex parte nostra conducunt, vt citò acquiramus dominium
passionum, & virtutes in gradu valdè alto. Cap. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

irascibilem vim animae in suum excitat adiutorium, tanquam sibi natura vinculo copulatam. Hac de sua ingenitâ dignitate nescit vitii cedere; nullius patitur habere dominium, soli Deo se subicit, carnis insolentiam, & sensualitatis (in quâ sunt omnes passionnes) petulantiam sub rationis redigit imperium, virtutes naturaliter (sed ad intra à gratiâ naturam eleuante) appetit. Iste nempe funiculus triplex est, qui difficile rumpitur, si in suâ naturali maneat dignitate. Non aduersis frangitur, non tormentis flectitur, non minus vincitur, non blanditijs seducitur, non corrumpitur, promissis, non ipsa omnium terribilissimâ morte superatur. Et cap. 14. col. 3. Lux est & Amor, Verbum: Lux, vt rationem informet, Amor, vt affectum excitet: Lux, vt notitiam præbeat veritatis, Amor, vt charitatis infundat gustum.

His ergo modis internis Deus, seruos excitat, & adiuuat, vt eliciant actus heroicis, & per illos, tanquam per effectus suae diuinæ, & supernaturalis gratiæ, frequentatos, ad maiora Dei dona capienda se disponant, & tandem illa, tunc, quando ei placet, assequantur, siue post vnum aliquem actum heroicum, siue post multos, iuxta mensuram fauoris, quo aliquem profecquitur ex mero beneplacito Diuinæ suae voluntatis.

Alia media, quæ Deus adhibet exterius ad supradicta, sunt multiplex extrinseca protectio, & custodia sibi charorum, orta ex beneuolâ Dei erga illos providentiâ, per quam ita eos dirigit, ne illis occurrant obiecta tentationum, excitantia motus inordinatos passionum, & dum occurrunt sensibus, vel imaginationi, denegat suum concursum ad actiones inordinatas, sine quo Dei concursu, nil possunt creaturæ nobis contrariæ nocere: eo ferè modo, quo Sanctis illis pæris ignis Babylonicus nil nocuit, quia Deus non concurrerat cum igne ad calefaciendam, & postea comburenda eorum corpora: quomodo & S. Catharinæ Senensis, aliquot horis iacenti supra carbones ardentes, & S. Franciscus Paulano, ignis cementariae fornacis, quam intrauerat, nihil nocuit. Et hoc modo quoque (præter plenitudinem virtutum eximiarum), graues Theologi docent, Suarez, & Valentia, adiutam fuisse B. Virginem, ne vnquam peccaret, ob defectum occasionum allicientium ad peccatum, & custodiam eius in illis, sed frequentius & efficacius id præstat Deus sibi charis, impediendo (etsi obiecta apta occurrant incitatiua ad peccatum) imaginationes, & cogitationes peccatorum, sine quibus nunquam possunt obiecta mala nocere, & incitare hominem ad offensam Dei.

CAPVT. DECIMUM SEPTIMUM.

Quæ mediâ ex parte nostrâ conducunt, vt citò acquiramus dominium passionum, & Virtutes in gradu valde alto?

Respondeo, etsi in modis & in medijs, quibus virtus diuina Maiestas, ad dona eius eximia acquirenda, includantur ea quæ ex parte nostrâ requiruntur; tamen ad clariorem huius rei notitiam tironibus vitæ spiritualis tradendam, commemorabo aliqua particularia media, ex parte nostrâ, quibus adhibitis, valde vtiliter cooperabimur auxilijs Diuinæ gratiæ, hoc ipsum nobis conferentibus.

Imprimis, cum per actus virtutum augeantur habitus, etiam per remissos, vt docent, Soto, Henricus, Durandus, Maior, Palatinus, Richardus, Gabriel, Valentia, Suarez, Vasquez, Tanner, multò autem magis, si sine actus valde intensis, & cum inter effectus virtutum moralium sit vnus, persistere nos ad prosequendum debito modo inclinationes naturales, & transire, ac domare passionnes, easque moderari, & recte rationi subdere, vt cum S. Thoma omnes Theologi docent constanter, ideo suavis operandi modus Diuinæ prouidentiae, concedit ordinariè dominium passionum illis seruis suis, qui cum sint valde in obsequio diuino feruentes, & sine vllâ tepiditate Deo seruiant, eliciunt etiam actus omnes virtutum valde intensos, ideoque citò acquirunt valde intensos habitus virtutum, ac proinde citò suo subdunt dominio rebelles passionnes.

Hoc modo peruenisse S. Ioannem Climacum ad passionum dominium, scribit Daniel monachus in eius vitâ: Quadragesima, inquit, annos, summa animi magnanimitate, & alacritate transegit ardentissimo amore, ac Diuinae Charitatis igne semper astuans & c. Sollicitudine, & raro hominum congressu luxuriam adeò extinxit, vt omnino obstructa fedaretur, nullasque molestias irrogaret. Cupiditatem verd (quam idolorum venerationem, Apostolus esse definiuit) misericordiâ Dei, rerumque exiguitate fortissime superauit. Acediam verd, animique desidiam, mortis memoriâ, inique pietatis exercitatione deuittauit. Cumque nullius mortali rei affectione teneretur, aeternumque solium sensu pascetur, noxia tristitia liber euasit. Iracundia verd tyrannidem in se ipso per obedientie gladium occiderat. Raro præterea congressu corporis, rariorque vsu sermonis, inanis glorie sanguisugam mortificauit. Quocirca, expertus in se S. Ioannes Climacus, sic hac de re scriptum reliquit: Qui fortiter pugnant, tranquillitatis etiam & pacis coronis donandi sunt. Tranquillitas autem est immediatus effectus dominij passionum. Et subdit: Initium quietis est, strepitus omnes, vt qui sum dum anime perturbant, amouere: finis verd, tumultus non metuere, sed inter eos sine vllò eorum sensu durare.

Hoc

Hoc significare voluit S. Catharina Senensis per executionem doctrinae diuinæ, quæ apparet in actionibus virtutum frequentatis: Postquam, inquit, peruenimus ad aetatem discretionis, fortificamur in doctrinâ tuâ: quia homo, qui sequitur illum in veritate, induendo se ipsâ perfectè (hoc est exercendo actus heroicis virtutum) in tantum efficitur fortis, & aptus ad bene operandum, quod ferè cessat ab eo rebellio carnis contra spiritum: (hoc autem præstat dominium passionum) quia anima illa perfectè est vnita in doctrinâ tuâ, & corpus virtutum est in animâ, & idè vult sequi affectum anima: quapropter ea quæ priùs consueverunt ipsum delectare, scilicet scelera mundi, tunc totaliter displicent, similiter etiam ea, quæ sibi difficilia videbantur & aspera, videlicet sequi virtutes, modò dulcia & delectabilia sunt eidem. Et infra: Homo qui nouit cum lumine fortitudinem tuam, discedit à debilitate suâ, quod lumen non adipiscitur, nisi assumatur odium contra propriam sensualitatem, & potius amittitur naturalis (hoc est, naturalis rebellio passionum, & fomiis, sicut illud amiserat S. Catharina Senensis, vt supra ostensum est numero 63.) O dulcissimè sanguis, tu fortificas animam, tu illuminas ipsam; in te efficitur ANGELICA (quia Angeli nõ habet rebelles passionem) tu in tantum obumbras eam charitate tuâ (quæ fons est, ex quo emanat auxilia gratiæ, ad eliciendos actus heroicos virtutum) quod penitus obliuiscitur sui, & nihil aliud quam te posse videre, propter quod etiam fragilitas carnis sentit odorem virtutum, ita quod simul corpus & anima (post acquisitum passionum dominium solummodò hoc contingit) clamare videntur ad te in quolibet exercitio: & hoc dum sanctum desiderium permanet & augetur. Alioquin si tepererit desiderium, subitò succitaretur rebellio magis viua, quam prius.

Merito igitur B. Laurentius Iustitiani ait: Ab Angelis honorandus est ille, qui diuinæ charitatis flammâ (hæc est feruor in operando) successus, insatiabiliter innatas concupiscentias, & adultæ vitia, vigore mediane virtutum, ex se eradicare conatur, atque terram sui viriisque hominis ad pristinum originalis puritatis reformare decorem. Huiusmodi plurimum amatùr à Christo, qui innocentia auctor, & puritatis semper amator exciuit. Reddit enim omni caelesti curiæ odorem mirificum innocentie baptismalis puritas, sed per amplius spiritualis exercitationis acquisita sudore. Querendum est ergo, etiam sudore in exercitio virtutum, passionum dominium, & accessus ad originale iustitiam quam fieri potest propinquissimus.

Debellatis verò passionibus viri Dei, illis deinde, tanquam instrumentis quibusdam vtuntur ad exercitium virtutum. Quocirca teste Cicerone Peripatetici laudabant iracundiam, dicebantque vtiliter à naturâ datam. Et S. Basilus appellat eam, neruum animi. S. Isidorus Pelusiota ait eam à Creatore animæ opitulatricem adhiberi, vt corporis ignauiam, ac molliem corroboret: Et alibi, Rationis imperio tanquam satellitem adiungendam

met Alphium Episcopum. Et Nemesius iram appellauit Satellitium rationis. Et Aristoteles passionem iræ excitatam per virtutem fortitudinis adiuuare ad actum eius fortius exequendum. In 1. de ita quam rem multa differit Seneca l. 2. de irâ ca. 15. cap. 6. Et alibi quidam apud illum bene dixerunt: Extollit animos, & incitat, nec quidquam sine illâ magnificum in bello Fortitudo gerit, nisi hinc flamma subdita est, & hic stimulus peragitur, misitque in pericula audaces.

Quæ postea Seneca etsi c. 9. & 10. conetur refutare, irritò conatu id facit, quia ipsa experientia omnes docet, ex irâ, moderatâ præscripto rationis, multum vigorem accedere rebus præclare gerendis. Mirum autem nõ est Senecam, vti Stoicum, non bene de omnibus passionibus sentientem; iræ quoque passionem impetere, tanquam viro sapienti inconuenientem suo iudicio.

Et S. Chryostomus, Non frustra, inquit, iræ cunctia affectum nobis prouidus Creator inseruit, sed vt dormientes animas atque resolutas, ab inertia, & desideria suscitet. Quasi enim gladio aciem, ita menti nostra iræ acumen imposuit, vt eo cum oportet, utamur. Propterea igitur & Paulus hoc sæpè vsus est affectu, & modestè loquentibus erat melior irarus, cum tempore omnia faciens opportuno, pro lucro & commodo prædicandi. Neque enim simpliciter lenitas semper est bona, sed cum illam tempus efflagitat, quando verò id non adest, etiam ista vitiosa est. Non parum, inquit S. Gregorius Nyssenus, virtute præditus à passionibus afferti videmus ad bonum adiumentum. Nam & Danieli laudi cupiditas erat; & Phinees ira Deum placauit; & mirum sapientia timorem esse didicimus; & rerum aduersarum, atque asperarum contemptum; Euangelium nobis præscribit, & non expauescere ad res terribiles; & casus aduersos, nil est aliud, quam audacia præscriptio, quæ audacia in nobis à sapientia connumeratur.

Et S. P. N. Ignatius P. Oliuero Manaræ tunc Rectori Collegij Romani, motus iræ in se incufanti, respondit (quod ab ipsomet P. Oliuero accepi) iram esse moderandam, & sine illâ, cum ratione adhibita nihil egregij posse præstari. Quamuis autem iræ, vt ait S. Diadochus, plus quàm aliæ passionibus perturbare & confundere animam solet, aliquando verò magnopere vtilis est. Cum enim contra eos, qui aliquid inique aut flagitiosè committunt, eâ sedatè vitimur, vt aut salui fiant, aut pudore afficiantur, tunc mansuetudinem ei adiungimus, eodem enim tendimus, quò Iustitia & Bonitas Dei spectant, imò sæpè, cum grauius peccato irati sumus; illud semineum quod in irâ inest, virile facimus. Vt iam, metâ quidem sententiâ, ira moderatâ magis tanquam telum natura ab Auctore nostro tributa sit. Quâ si Eua contra serpentem visa fuisset, nunquam ab illo falsa voluptate delimita esset. Vnde, vt mihi videtur, qui propter studium, & ardorem pietatis irâ vititur sedatè, probator in lance remunerationum reperietur, præ eo, qui nullo modo propter mentis immobilitatem irâ mouetur. Hic enim

auri-

49.
90.
q. 11.
8. j.
n. 1. a.
q. 1.
q. 1. nu.
58.
q. 108.
& 3. &
2. j. a.
1. 1. a.
& 1. a.
& 1. a.
4. a. 1.
1. 1. a.
2. j. a.
& 3. j.
P. q.
a. 1.
berd. s.
l. au.
Buzog.
111.
la. Offic.
de l. i. a.
h. 1. 10.
la. ep.
110.
110. j. ep.
170.

aurigam sensuum hominis in exercitatum habere plane cernitur, ille vero semper in equis virtutis certandi studio seruens, vobitur inter medias demonum copias, quadrigam continentia in timore Dei omni tempore exercens. Quam quidem curram Israel apud Scripturam, cum Elias ille in sublime sublatus est, dictam esse legimus. Siquidem Iudaeis primum, de quatuor virtutibus excellenter locutum esse videmus Deum. Idcirco totus & in curru ignis sublatus est ille tantus, ac tam admirandus sapientia alumnus, tanquam equus, ut mihi videatur, suis vsus virtutibus in Domino, qui illum in aurâ Spiritus ignis rapuit. Prodest ergo ita moderate adscita sicut & aliae passiones freno rationis & virtutum coercita. Quocirca Plato, velut nernos esse dicebat affectus in homine, & ceu funiculos quosdam à naturâ inditos, à quibus trahamur. Omnis enim affectus, inquit S. Gregorius Nyssenus, celerem, violentum, irreprehensibilemque habet appetitum, & impetum, ad expletionem voluntatis.

Sed cum non omnes sentiant in se illum feruorem, cuius beneficio possint actus intensos elicere & citò assequi dominium passionum, ac aliarum excellentiam virtutum, hi (dummodò non sint voluntarie in Dei obsequio tepidi, & negligent) edendo patuos actus, & modicos, eo conatu, quem habent, & possunt, ita diu perseuerent bene operando, & se in paruis etiam rebus vincendo, & minimas Regulas exactè seruando, assequentur omnino maiora Dei auxilia, per quæ excitabitur in eis feruor eximius, & illi ad actus heroicis à Deo perducentur, & ad illos virtutum gradus ascendent: fierique potest, ut etiam passionum dominium acquirant. Nam, ut ait S. Basiliius, Qui grato animo in donis, quæ à Deo primum accepit, studiosus seipsum exercuerit ad laudem Dei, idoneus efficitur, cui alia dentur præterea: scilicet dona & auxilia præstantiora, ad præstantiores actus virtutum patrandos, ab immensa Dei liberalitate, ob paruos nostros conatus ex Dei gratiâ ortos, emanantia, ut paulò post dicitur.

Iste enim mos est liberalissimi & clementissimi Domini Dei nostri: Qui, ut ait S. Cæsarius, ubi viderit deuotionem animi, ardentiorum insinuat affectum, & quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium; & quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. Quia, ut dicit S. Diadochus, secundum proportionem progressus animæ, donum Dei, bonitatem suam menti patefacit. Quod quidem adeò est certum, & materia magni solatij, & incentiuum magnæ spei in iis, qui seruo suo attendunt profectui, à paruis incipiendo, ut non dubitavit S. Thomas, Doctor vere Angelicus, & scientiâ & moribus, id tanquam infallibile asserere. Quando, inquit, homo facit quod in se est, Deo mouente liberum arbitrium (hoc est, exequendo ea, ad quæ tunc excitatur à Deo, etiam si parua sint, per hæc enim nos ad maiora disponit) tunc preparatio hominû

ad gratiam, habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem necessitatem coactionis, sed infallibilitatis: quia inuentio Dei deficere non potest. Quod certius illi experiri solent, qui cum se sentiant nondum idoneos ad res magnas patrandas, paruulas illas, siue deuotiuiculas, siue alia pietatis officia, obeunt, & offerunt Domino cum magno affectu. Affectus enim, inquit S. Ambrosius, diuitem collationem facit, & pretium rebus imponit. Ideò, ut ait S. Ephræm, iusti paruis actionibus magis Deum sectantur, & placant, præ nonnullis, qui multa (sed sine affectu) faciunt. Non enim ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis: & non intuetur, quod sit, sed quo quid studio, ac propensione peragatur. Vidua paupercola, duobus oculis superauit diuites auro abundantes.

Secundò (quod diligenter notandum, & legendum est) præter auxilia diuinæ gratiæ excitantia, & adiuuantia hominem ad actus virtutum, per quos acquiruntur, & augentur habitus earum in ordinario, & communi cursu vitæ præsentis. Item Secundò præter alia interna auxilia diuinæ gratiæ excitantia, & adiuuantia hominem ad actus virtutum eo tempore eliciendos, quo nisi elicerentur, exurgerent in homine motus inordinati passionum excitati ab obiecto aliquo præsentato imaginationi nostræ, & menti, vel sensibus. Item Teriò præter ipsos habitus virtutum intrinsecus permanentes in homine cum gratiâ Dei, eosque in gradu valde perfectò. Item Quarò præter internam Dei protectionem, quæ occultis suæ gratiæ internæ modis arcet, & veluti frenat nostram imaginationem, & intellectum, ne tunc quidquam apprehendat, & cogitet, (sine vllis obiectis extrinsecis,) quod possit excitare motum inordinatam passionum, vel desiderium prauum inclinationis voluntatem & appetitum, ad aliquod malum, vel auertens ab aliquo bono debito præstando: Item Quintò præter negationem concursus sui Diuini (quem Deus, ut causa prima, & Author naturæ, suppeditat omnibus causis secundis naturaliter, & moraliter operantibus, dum aliquid faciunt) ex peculiari suâ prouidentia, & beneuolentiâ erga hominem, non concessi, sed tunc subtracti, quando homine non eliciente vllos actus supernaturales virtutum, aliqua obiecta sensibus occurrunt apta mouere eos, & per eos imaginationem & intellectum ac per hæc, motus excitare passionum inordinatos. Item, Sexiò præter extrinsecam Dei protectionem, quæ ob merita Christi Domini, ita suâ diuinâ prouidentia dirigit nos, & mouet, ne adeamus, vel incidamus in illa loca, & personas, & ne percipiamus sensibus illa obiecta, ex quibus, postea nostræ naturæ fragilitate, & inclinatione ad malum, præsertim à prauis consuetudinibus vel habitibus auctâ, facile in nobis motus inordinati passionum excitarentur. Præter hæc, inquam, sex, ad refrænationem fomitis, &

152.
in Moral.
Reg 58.
cap. 4.

h. 3. ad
monach.
cap. 77.

1. 2. q. 112.
a. 3.

153.
1. 1. Offic.
cap. 30.
10. 3. S. de
penitent.

154.

155.

156.

157.

158.

159.

160.

161.

162.

& ad acquirendam passionum dominium adhiberi solita à Deo, maxime iuvat vñs pius, & feruens eximã deuotione, SS. Eucharistiã. Hęc enim, vt docet S. Thomas, & experientia deuote communicantium confirmat, *Carnis fomitem imminuit*: & vt ait S. Cyrillus Alexandrinus: *perturbationes animi extinguit, & sedat Christus, cum in nobis manet sciens membra nostrorum legem*: (hoc est fomitem, sic appellatum ab Apostolo, vt omnes Interpretes explicant.) Et, vt loquitur S. Chrysostomus differēs de passione ita, *Si illam potione (Eucharistiã) bibamus ab hac peste liberabimur: potio enim hac omnes intra nos vermes, serpentesque mortificat*. Quod etiam expressē S. Bernardus ait, ab Eucharistiã frænationem passionum præstari, & sensum earum minui. Et B. Laurentius Iustinianus, *Comprimi ab eâ voluptuosos animi motus: qui omnium sunt frenata difficillimi*.

Sed præmonendi sunt hoc loco tirones, ne putent se subito peruenturos ad passionum dominium: nisi adiuuetur extraordinariis Dei auxiliis, quæ raris Seruis Dei conceduntur, & non nisi iis, qui statim perfectissimè viuere in Dei obsequio ceperunt more eximiorum Sanctorum. Nam, vt ait S. Climacus, *Sanctorum conuersationem velle quempiam repente totam imitari, irrationabile simul est & impossibile*. Sancta enim virtutes, vt idem ait, Iacob scãle comparantur. In scãle autem sensim per gradus ascenditur. Et, vt ibidem dicit S. Clim. *virtutes simul nexæ, atque altera ad altera transmittentes: in celum sustollunt amatores suos*. Et gr. 14. *Inspicientissimum vocat eum, qui puero præcipere, vt scalarum gradus omnes passu repente conficeret. Quod quidē in ordinatis Dei donis verū est, sed multo magis in donis Dei eximiis. Excelsa dona, & spiritalia charismata, inquit B. Laur. Iust. quæ charissimis Dei, & Sapia amatoribus prærogantur, non repente, sed per incrementa virtutum. Per gradus ergo, & veluti per classes scholasticas, ascendendū eis est. Nemo repente sit summus, inquit S. Bern. ascendendo, non volando apprehenditur summus scãle. Nemo vnquã, ait S. Clim. repente vno simul passu scãle gradus omnes conscendere potuit. Non inuenitur repente verbum, inquit B. Laur. Iust. cum etiã sollicitè quaritur. Quibusdã namque gradibus peruenitur ad ipsum. Nullus ad vltimū attinget, nisi gradatim ascendat. Nemo, ait alibi, ad perfectionis vales fastigiū scandere, nisi mediante progressu. Materialia videmus construi adificia non repente, sed paulatim, & per incrementa. Pueri quoque ab eruditioribus suis, literis imbuuntur, & ex quotidiana assiduitate studendi, efficiuntur docti. Quocirca prudenter monet Epictetus apud Arrianum: *Nihil est magnarum rerum, quod derepente fiat, quandoquidem ne botrus quidem, aut ficus. Quod si nunc mihi dicas, te cupere ficum, responderē sanè tempore quodam opus esse. Sine prius vt floreat, postea fructum producat, & maturitatem; deinde consequatur, ad extremum ficus tandē conficiatur. Vnã hora, & subito non absoluitur. Mentis humana fructum**

tam breui temporis curriculo, ac tam sine negotio acquiri sperare id verò moneo ego, ne expectes.

Atque ita (vt ponderat S. Thomas) bene dixit Abbas Nestero apud Callianū: *impossibile est vnum, eundemq; hominē simul vniuersis fulgere virtutibus: quas si quis voluerit pariter affectare, in id eum incidere necesse est, vt dum omnes sequitur, nullam integram consequatur: magisq; ex hac mutatione ac varietate dispendium capiat, quàm profectum. Quã de re pulcherrimè disserit S. Macarius. Quæadmodum hom. 15: in viro imperfectus insans, non quãprimùm concreuit in hominem, sed paulatim formatur. & gignitur: neque mox perfectus homo euadit, sed longo annorum successu augetur, & vir efficitur. Estq; veluti semina tritici aut hordei, quæ terra mandata non statim radicem producunt: sed vbi transeunt Hyemes, & venit sum opportunio tempore spica nascuntur: itidem qui pyru plantat, non mox fructū percipit: eodem etiam modo in rebus spiritalibus, vbi tantã sapientia est, & subtilitas, paulatim augetur homo, euaditq; in virū perfectū, & plenitudinem ætatis, non vt quidam dicunt, induere, & exuere. Qui discere literas optat, pergit primùm ad ediscenda signa, in quibus cum fuerit primus, migrat ad scholam Latinorū, in quã est omnium postremus: denuò cum ibi primus euaserit, proficiscitur ad scholã forensē, in quã rursum est omnium nouissimus & principarius: deinde Scholasticus effectus, omnium Causidicorū nouitius, & extremus est: tū dux euadit: qui vbi Magistratū fuerit affecturus, adiutorē sibi sumit assessorē. Si ergo in rebus externis tot habet homo promotionis gradus: quãd magis cœlestia mysteria multis gradibus atque promotionibus acquiruntur: & tum qui per multas exercitationes, & varia rerum pericula progressus fuerit, perfectus euadet.*

Pergant ergo Tirones in paruis sese exercere: *In omnibus artibus, inquit S. Chryl. à facilibus quis pop. ad maiora venit, multo prius discens facilius. Et alibi hom. 51. Priusquã prima discantur elementa, superfluum est, & inutile circa finē versari. Sicut pueri (adde infra) elementa discētes, non illa tantummodo discunt, sed in illis legere paulatim docentur. Sic Tirones per paruas mortificationes passionum in rebus facilioribus, ad maiores sensim progrediuntur, & tandem earum dominium, tanquam Magistratum quendam in Republicã Ecclesiasticã assequuntur, & non vnum assessorē, sed omnes virtutes acquirunt, quarum beneficio passionibus rectè vrantur, tanquam famulis, post rebellionem sibi subiugatis. Deus enim, vt ait apud Coll. 10. Callianum Abbas Pinuphius, cum Religiosi conatus obsequia supplici mente à nobis oblata perspexerit, exiguos, paruoz, conatus immensa liberalitate persequitur. Quod de conatibus à Dei gratiã excitatis intelligendum: sine hac enim, vt ait S. Bernardus, conatus liberi arbitrij, & cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non exortentur.*

Deinde notãde sunt hoc loco aliquot præclare doctrinæ à S. Diadocho traditæ. Prima est, *charissima scientia, siue cognitionis (quæ oritur ex experimentalis exercitio virtutum moralium) plus valere ad extirpandas passiones, quàm charissima Sapien-*

2.2. q. 159.
2.8.
Coll. 14.
cap. 6.

h. 27. ad
pop.
hom. 51.
ad pop.

Coll. 10.
c. 3. fia.

1. de gr. &
lib. arb.

cap. 72.

Sapientia, à quo contemplatio rerum diuinarum procedit. Hinc videmus multos soli contemplationi deditos, & longis meditationibus sine exercitio virtutum, habere quidem certas consolatiunculas, & lacrymas in oratione, & tenerritudines quasdam deuotionis fœmineas magis, quàm viriles; ad minimam tamen, occasione motibus passionum succumbere, vel iræ, vel odij, vel tristitiæ; & in rixas, ac verba pungentia proflire, pertinaciter in proprio iudicio hærerè. Quod non æquè accidit iis, qui vacant exercitio virtutum moralium, & per illud, experimentale quoddam charissimæ scientiæ seu cognitionis acquirunt, de modo frænandi passionis, & exercendi virtutes, ad passionum moderationem efficacem conducentes.

cap 74.

Altera doctrina eiusdem Sancti est, feruore naturali non ita domari passiones, vti domantur supernaturali, quem Spiritus sanctus cordi affert. Feruorem autem naturalem esse ait in naturâ propter virtutem quodammodò bene valente, id est, in complexione naturali miti, ad omnem pietatem propensâ, nunquam tamen facere posse mentem bonam, ad comparandam vacuitatem passionum, vt potest charitas, & feruor supernaturalis. Is enim magnas difficultates superat, dum passiones vehementes exurgunt, quibus facillè solent cedere solâ naturali quadam bonitate præditi, Vnde solet dici, tales esse frigidus; & in bono, & in malo; & sicut facillè ad bona attrahuntur, ita facillè pellicuntur ad mala, quia passionibus generosè non resistunt, vti resistunt feruore Spirituali, ac supernaturali ardentibus.

156.

Porro S. Dorotheus praxim acquirendi passionum dominij, per paruorum rerum mortificationem, seu sui in parujs rebus victoriam, sic tradit: Nec quisquam hoc putet arduum, & difficile,

.S.1.

cùm breui compendio, & spatio quis se ipsum possit & velit decies abnegare. Quod quo pacto fiat, edocebo. Obambulat aliquis, & quippiam conspiciat persuadetur à cogitatione, vt id aduertat, at is cogitationi, & non bonæ persuasioni repugnat, sequè auertit. Rursum inuenis quis nugis, & vanis rumoribus occupatur, persuadet, vt se turba quoque immisceat, & verba pariter inserat, negat id se acturum, & auersus aliò propriam voluntatem abscondit. Item succurrit illi, vt coquum adeat, interrogetq; quid pariet obsonij non adit, ac se cohibet. Cernit aliquid in culinâ, quis illud attulerit, sollicitatur interrogare, comprimit appetitum, & vocem, & nihil percunctatur. Sicq; dum parua que que præsidit, sensum quacumque aduenientia præcidere consuescit. & iam summâ cum requie, nil præter voluntatem suam, se sentit habere. (id est) repugnans suæ voluntati) & quidquid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua euenisset. Qui enim proprium nil habet, aut suum, quidquid factum fuerit, id proprium putat. Cumque nullam affectionem habeat (scilicet, ad voam rem magis, quàm ad alteram) omnino tandem ad impassibilitatem animi (scilicet ad quie-

tem animi, ab omni perturbatione molestante liberam) perducitur. Aduertite igitur quantum pusillum hoc, nos proficere faciat. Hec S. Dorotheus, qui tamen apathiam impassibilitatis clarè damnauit, tanquam impossibilem in hac vitâ loco iuprà citato.

ad qu. 7. nu. 11.

Hoc aliter, sed eodem sensu, docet S. Diadochus: Vna pars animæ ad passiones se adiungit, vnde qua sunt vitæ iucunda: cum voluptate percipit: altera verò rationis ac intelligentiæ motu, sepe numerò delectatur: quatenus mens nostrâ ad caelestia currere, cum continentibus sumus, expetit. Si igitur veniamus ad habitum contemnendi eas, quæ mundo sunt pulchra, poterimus etiam appetitum animæ terrenum cum eiusdem appetitu compote rationis coniungere, communicatione Spiritus sancti in nobis hoc dispensante. Nisi enim hac Diuina bonitas efficienter penetralia animæ nostræ splendore illustrauerit, non poterimus, inuiduo, id est, toto sensu bonum degustare. Allucliant ergo Tirones in parujs rebus se vincere, & contemnere ea quæ mundo sunt pulchra, & sensibus iucunda, inuocent præterea sæpè opem Spiritus sancti, & proficient in passionum frænatione.

cap. 29.

Facit ad confirmationem huius doctrinæ, pulchrum exemplum relatum in vitis Patrum: Fratres quidam conuenerunt ad senem quendam sanctum in deserto loco sedentem, & inuenerunt extra monasterium puerum patientem pectora, & loquentem verba, quæ non decebat. Postquam autem viderunt senem, & indicauerunt ei cogitationes suas, & de responsione eius se profecisse senserunt, dicunt ei: Abb. quomodo acquiescis habere tecum pueros istos, & non præcipis eis, ne striniantur: Et dixit Senex: Credite mihi, Fratres, dies habeo, ex quo volo eis præcipere, & redarguo me ipsum dicens: Si hoc parum non portauero, quomodo maiorem temptationem, si permiseris mihi Deus inferri, portare possim: Et propterea nihil eis dico, vt fiat consuetudo portandæ quæ superueniunt.

Ruff. 1. num. 91. L. 7. libel. 16. nu. 14. Ruff. p. 631. n. 14.

His ergo modis crucifigendo quotidie motus, & desideria inordinata etiam circa res paruas, Facillè, inquit B. Laurentius Iustinianus, animus sui victor efficitur, cum contra se pugnare non recusat: per quam pugnam, et si non extirpabuntur (cùm innatæ sint naturæ nostræ, extirpari nequeunt): totaliter passiones nostræ, tamen tanquam crucifixæ à nobis in nobis, nos non inquietabunt. Duo sunt abstinentiæ & Crucis genera, ait S. Augustinus, vnum corporale, aliud spirituale: vnum à potu atque epulis temperare, appetitum gula à delectationibus, & mollissimis suauitatibus coercere, ab iis que per tactum & gustum, visumq; decipiunt, sensum viriliter reuocare, ac violenter abstrahere. Alterum abstinentiæ & Crucis genus est, pretiosius atque sublimius, motus animi regere, & perturbationes illius modestia tranquillitate placare: ita ac superbia impetibus, quasi feram bestiam refrænare, litigare quotidie contra vitia sua, increpare se quadam sensurâ austeritatis, & virtutis, & rixam quodammodò cum homine interiore conferere. Pretiosa in conspectu Dei, & gloriosa cruce, cogitationes malas in possessatam redigere, volun-

de casto conn. 4. col. 4. 157. S. 20. de Sanctis. cap. 1.

138. *luntates proprias abnegare, easque interiori exinanitione discutere, & regentis Imperio subiugare.* Pergant ergo Trones his modis disponere se, ad acquirendum passionum dominium, & eximias in gradu altissimo virtutes. Et toto conatu vitent modum viuendi, eorum, qui non secundum Deum, & Regulas, sed secundum hominem viuunt. Ille, inquit S. Prosper, secundum hominem viuunt, qui secundum se ipsum viuunt: quia & ipse homo est, & secundum se ipsum viuunt. Qui, si potuerit, est cum quibus vult: pergit, quod vult: dormit, quando, & quamuis vult: loquitur, qua vult, & ubi vult: manducat & bibit, quando, & quod vult; & quantum vult: ridet, ac letatur inter quos vult: potestrem quidquid naribus suauis est, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid ceteris sensibus carnis sue incundum, exercet ac sequitur, qualiter vult. Talis passionum dominium non acquireret, quamdiu hanc viuendi rationem sequeretur, imò citò peribit, nisi se emendet.

Sed ante omnia primo loco danda est omnibus opera, ne inquam vllò plenè deliberato peccato Deum offendant, & vt indeliberata peccata, quæ ex surreptione oriuntur, rarò committantur: & nunquam in materiâ graui, & periculosa, & ad Dei cultum spectante. In hæc enim peccata deliberati lapsus, obstant, ne acquiratur dominium passionum, ob malos effectus, qui ex talibus peccatis proficiuntur.

139. *Peccata enim venialia, vt docet S. Thomas, sunt impedimenta spiritalis profectus: a & disponunt ad mortalitatem: & retardant, ne animus hominis promptè feratur in Deum: & impediunt actus virtutum: & diminuunt inclinationem ad virtutem, quâ homo habet à natura: & diminuunt feruorem charitatis: & in reptione sanctissima Eucharistia, si admittantur, impediunt actualem refectionem dulcedinis spiritalis, vt docet idè S. Thom. quam paulò infra appellat, actualem effectum Eucharistia, & ait, esse feruorem charitatis & actualem delectationem. Quæ effectum Valentia h ait esse, peculiararia quædam auxilia diuina a-*
ctiua, vt exercitio charitatis aliarumq; virtutum, calori concupiscentie resistendo, possit conseruare vitâ gratia: Quo ipso gratie augmento, & auxiliis, etiâ recuperat quis illi feruorem charitatis, qui quotidianis peccatis, quasi estu quodâ eiusdem conscientie identidem minuitur: itemq; delectatur, ac gustat aliquis spiritaliter, eo ipso, quam suauis est Dominus. Hæc autem auxilia impediuntur per peccata venialia, & per voluntariam distractionem, seu attentionem ad res alias, docet etiâ Suar. Et impediunt, ne Sacramenta ex opere operato conferant illum maiorè effectum suum, quem conferunt iis, qui cum maiori dispositione, & deuotione actuali illa suscipiunt, vt bene ex Concil. Trid. & S. Thoma, aliiq; Theologis, cõmuniter id sentientibus, probat Suar. sine talibus autè auxiliis per peccata venialia impeditis, dominium passionum sic delinquentes nõ sperent. Præterea cum iudicio S. Basilij contrisitent Spiritu sanctum; quis non videt per ea aditum præ-

cludi illis excellentibus Dei auxiliis, per quæ euehantur ad altissimos perfectionis gradus, inter quos non postremus est, passionum dominium, quod non omnes etiam eximios Sanctos habuisse, res gestæ eorum, quas legimus, demonstrant, eò quod quidam vehementer, & vsque ad indignationem senserunt iniurias sibi illatas (etsi alijs magnis virtutibus essent illustrissimi) quod tamen in Dominis passionum non reperitur. Exultant enim dum iniuriis afficiuntur, easque expetunt, & summi loco beneficij habent.

160. *Porro inter alia peccata venialia, quæ valdè impediunt hos vberiores Dei influxus, sunt detractiones tam metis, quàm oris, quibus sinistra de proximo feruntur mète, & exprimentur oris, iudicia, bonæ famæ eorum contraria. Terribile est enim Patrum antiquorum de hoc vitio decretum, relatum à S. Dorotheo: Nihil, inquit, magis auersatur, & abominatur Deus, quàm proximum iudicare. Hoc præclare asserunt omnes Patres nostri, quandoquidem nihil peius, nihil deterius, quàm proximum iudicare censuerunt. Nihil addo pronocat Deum ad iram, nihil ita hominè spoliât, & omni virtute ac præsidio demutat, nec non ad summum discrimen adducit, vt contra proximum obloqui, vt proximum diiudicare, ac condemnare. Causas huius rei alibi attuli, quas hic omitto, ne longior sim: præcipua est, tû quia isti Censores vitæ aliene, vsurpant sibi iurisdictionem Dei, qui soli sibi reseruauit iudicia de alijs, tum quia inuolant in charos Deo.*

161. *Sic etiâ S. Macar. S. Antonij discipulus, valdè in Martyrologio Rom. laudatus ob sanctimoniam vitæ, scriptum reliquit: Vitâ ordinariam ad excidendum ex gratiâ Dei, esse cogitationes, quibus homo incipit extolli (quod fit, dũ iudicat alios) & condemnare alios. Quocirca Deus Pater ob nullam re reprehendit S. Cathar. Senensem sibi charissimâ, quâuis non defuerint alij defectus in eâ (quia & Sancti peccant) præterquam, quod etsi non animo & modo detractionis, sed ex zelo Diuini honoris soleret iudicare alios, videns claros defectus aliorum, excusationem non admittentes, vt ipsamet Deo reuelante dictauit, & in suis cum Deo dialogis scriptum extare voluit. Tradidisti, inquit, mihi medicinam opsabilem, contra quâdam occultam agritudinem, quam ignorabam, nec illâ agnoscebam: instruendo me, ne vllatenus ego iudicare præsumam aliquam rationalem creaturam, & præcipuè seruos tuos, de quibus aliquando, velut ex cecitate, & ignorans, hæc erâ infirmitate corrupta: quia sub colorata specietui honoris, atq; salutis animarum, temere iudicabâ.*

162. *Ideo postea hæc Sancta, quæ admodum scribitur in eius vitâ, Ore Dei, hæc verba proferre solebat, multos ob non vitata censoria rerû alienarum iudicia, esse impeditos à perfectione, quâ acquisiissent tanquàm veri Sancti, ob excellentiam operû. Et moriens peculiaritè emphasi in suo Testam. hoc suis spiritalibus filiis ac filiabus cõmendatũ reliquit: Ne vllũ prorsus iudicarent, nullũ condènerent, quâuis viderent manifestũ peccatum. Ideò quotquot fuerunt in Dei*

D d Eccle.

ad qu.
nu. 17.
p. 29.
de vita
ccc. c. l.
ff. 3.
m. 91.
7. libel.
nu. 14.
of. 17.
1. n. 14.
139.
140. q.
141. ad
142.
143. q.
144. ad
145. q.
146. ad
147. q.
148. ad
149. q.
150. ad
151. q.
152. ad
153. q.
154. ad
155. q.
156. ad
157. q.
158. ad
159. q.
160. ad
161. q.
162. ad
163. q.
164. ad
165. q.
166. ad
167. q.
168. ad
169. q.
170. ad
171. q.
172. ad
173. q.
174. ad
175. q.
176. ad
177. q.
178. ad
179. q.
180. ad
181. q.
182. ad
183. q.
184. ad
185. q.
186. ad
187. q.
188. ad
189. q.
190. ad
191. q.
192. ad
193. q.
194. ad
195. q.
196. ad
197. q.
198. ad
199. q.
200. ad

Ecclesiâ excellenti vitæ sanctimoniâ præditi, abhorrebant à iudicandis aliis, sed viscera benignissimæ charitatis; quæ, ut ait Apostolus, *non cogitat malum*, scilicet de aliis. *Amabile est*, inquit S. Chryllostomus, *Sanctorum omne genus, propterea, Paulus dicebat: Induite vos sicut electi Dei Sancti, & dilecti, viscera misericordie, benignitatem &c. Non dixit, Misere mini simpliciter: sed induite vos, ut sicut vestimentum semper nobiscum est, sic & misericordia. Nec simpliciter dixit, Misericordiam, sed viscera misericordie: ut naturalem imitemur amorem.* Hinc quos Deus euehere incipit ad excellentiam sanctitatem, statim infundit eis mores ab omni iudicio morum alienorum valde abhorrentes; qui ergo cupit Sanctorum classi adscribi in occulto Dei iudicio, censoria deuinet iudicia aliorum, uti & quæuis alia deliberata peccata. Hæc enim præcludunt aditum illis Dei donis, sine quibus nulli dat passionum dominium. Nam, ut bene ait Abbas Nesteros apud Cassianum, *Nemo in vas fatidum atque corruptum, vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosum quicquam liquoris infundit. Ita & vas pectoris nostri, nisi prius fuerit ab omni fædissima vitiorum contagione purgatum, non merebitur suscipere illud benedictionis (Diuinæ) vnguentum, de quo dicitur per prophetam. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, &c.*

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Quomodo differt passionum dominium ab originali iustitiâ, seu innocentia Paradisiacâ, in qua fuit Adam ante peccatum?

166.
num. 19.
& 90.

Respondeo. Etsi resolutio huius questionis peti possit ex iis, quæ supra dicta sunt, Responsum ad questionem 11. & ad questionem 13, tamen ut paucis rem contraham, dico, iustitiam originalem hæc propriè habuisse semper, quæ vel nunquam, vel non semper coniuncta sunt cum passionum dominio. Nam Adam tempore iustitiæ originalis, non potuit peccare venialiter, non habuit vllum motum passionis etiam inordinatum, afflictiuum, uti est dolor, timor, tristitia, cupiditas æstuans. Non est passus vllum etiam leuissimum passionis, etiam non inordinatæ motum anteuerentem imperium rationis & voluntatis. Nulla internam tentationem passus est, aut ortam ex aliquâ corporali passione sensit. Nullum alium motum passionis contrarium rectæ rationi expertus est. Excitato per imperium rationis & voluntatis motu ordinato passionis, illa statim cessabat, cum vellet eam cessare, & exurgebat toties, quoties volebat. Imò nihil horum pati potuit. Hæc autem non præstat dominium passionum.

Ceterum passionum dominium adfert alia, quæ questione 13, attuli, quæ perfectiori modo erant in statu iustitiæ originalis. Cum passionum tamen domino esse possunt lenes & breues motus passionum inordinatarum, non valde inquietantes hominem, nec ad peccatum re ipsa perducentes, tamen anteuerentes rationem, quales motus fuisse etiam in statu originalis iustitiæ, leuiter contra rectam rationem exurgentes, existimantur Scotus & Gabriel, (non recepti in hoc ab aliis Theologis) & in B. Virgine fuisse quoque circa res non malas, docet S. Thomas, & eum secutus Greg. de Valètia: cuius verba, & Molina operæ pretium est, hic adferre: quibus tamen non assentior, nec contradico. S. Thomas concedit B. Virginem habuisse subitò aliquos motus sensualitatis, anteuerentes deliberationem rationis. Quod tamen nullo modo intelligendum est de motibus exurgentibus contra rectam rationem. *Motus autem primò primos*, inquit loco citato Valentia, *circa obiecta sensibilia, quæ non repugnarent rationi recte, non est absurdum concedere fuisse quandoque in Virgine, ut etiam concedit D. Thomas hic ad primum.*

Imò Scotus & Gabriel, & plerique alij, ut ait Mol. de Molina (nec enim hic habeo istos Auctores arbitrantur iustitiam originalem fuisse donum supernaturale, quo comprimebantur vires sentientes, & continebantur, ut vel omnino non excitarent passionum motus contra rationem, vel si quos, non admodum vehementes, producerent, sine vilo labore & molestia, & comprimere faciliè, & ad imperiū voluntatis conquiscerent. Neque enim hi Doctores absurdum reputant concedere, fieri potuisse in statu innocentia, ut lenes passionum motus contra rectam rationem, leuesq; aliqua molestia, & tristitia corporis insurgerent.

Quocirca, si iudicio tantorum Doctorum, S. Thomæ, & Scoti, in statu originalis iustitiæ, & innocentia paradisiacæ, aliqui passionum motus insurgent, anteuerentes imperium rationis, & voluntatis, nihil id repugnat domino passionum, diuinitus seruis Dei concessio.

Plura hæc de re dicā in Responsum ad c. 19.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Quomodo differt dominium passionum, ab apathia damnata à Sanctis?

Respondeo, antequam directè respondeam ad questionem, præmittenda sunt aliqua historica de apathia.

Imprimis S. Hieron. in quadam epistolâ, variè (quoad ordinem inter eius epistolas citari solitâ) asserit: *Euagrius Ponticus Hyperbortam libro edito docuisse à patre dei, quomodo nos impasibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus vilo perturbationis vitio commouetur, & ut simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est.*

Talem apathiam esse humanæ naturæ prorsus contrariam, meritò & SS. Patres, & Theologi docent. Siquidem, ut supra vidimus, etiam in Christi Domini humanitate fuerunt boni